



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XIV. Quod nullus episcopus alterius parochianum praesumat retinere aut ordinare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
839.

conum, non exorcista aduersus acolytum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam. Et non condemnabitur præsul, nisi in septuaginta duobus, ^{1. quæst. 5. Præsul.} neque præsul summus a quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus supra magistrum.* ^{Luc. 6.} Presbyter autem in cardine constitutus, non nisi in quadraginta duobus testibus damnabitur: diaconus cardinarius constitutus vrbis Romæ, non nisi in vigintifex condemnabitur: subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in septem testibus non condemnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia, vxores & filios habentes.

XIII.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec aliis possessionibus priuentur, ita vt nouis oratoriis tribuantur.

XIV.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare absque eius voluntate, vel iudicare. quia sicut eius irrita erit ordinatio, ita & iudicatio: quoniam censemus alterius nullum iudicis, nisi sui, sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus potest.

XV.

Si quis episcopus iudicauerit, vel ordinauerit alterius parochianum sine consensu & voluntate sui episcopi, oportet non sine increpatione in communi Concilio admitti, ita vt ecclesiasticum vltra non soluat Canonem.